Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26044
Copyright: Admont, Benediktinerstift

tamquam maiestatis reum capite plectendum adiudicat. Monet ille episcopum de
data fide, quam servasse respondit. Sic prefatus Albertus capite plectitur, posses
siones eius, ex quibus postmodum Babenbergensis ecclesia locupletata dicitur, in fiscum re
dacte sunt. Ex huius Alberti sanguine Albertus, qui postmodum marchiam orientalem, id est Pan
noniam superiorem, Ungaris ereptam Romano imperio adiecit, originem dux
isse traditur. Iudicent de huius sacerdotis facto alii quod velint et tamquam pro regni uti
litate commissum tueantur; ego omnino nullius emolumenti gratia non solum quemlibet
christianum fraude circumvenire, sed et in corde et corde in causa capitali loqui
non debuisse arbitror episcopum. Non multo post Ungari commisso cum Baioariis bel
lo ducem eorum Leopaldum, Arnolfi ducis patrem, occiderunt ac in per totum reg
num diffusi Alemanniam, Franciam, Saxoniam, Turingiam percurrunt. Loduuicus
orientalis Francie rex XII. regni sui anno sine herede discessit ac in
ipso fine suo Huuendebaldo iuxta quosdam Karulorum genealogia in
orientali regno defecit ad tempus. Unde quidam modernorum ultimum autem augustorum
augustulus ultimi Karulorum Huuendebaldus fuit. Defuncto Loduuico
Otto Saxonum dux ab omnibus petitur. Princeps ergo clarissimus tamquam senio gra
vis rex fieri RECUSABAT. XVI.

Anno ab incarnatione domini DCCCCXII Conradus Conradi, quem Adalbertus occiderat, filius,
consilio prefati ducis Ottonis consensu omnium rex orientalis Francie creatur.
Hunc quidam Loduuici fratris filium fuisse dicunt et ob hoc eum novissimum Karolorum po
nunt. Anno regni eius I. Ungari ad depopulandam terram rursum effusi a Sue
vis et Baioariis iuxta Enum fluvium sternuntur. Porro Arnolfus Baioari
orum dux regi rebellans cum uxore et filiis ad Ungaros fuga elapsus est.
Rex vero VII. regni sui anno vitam pariter et regnum presenti die obiit. Eique consi
lio Heinricus Ottonis ducis filius in regno subrogatur anno ab incarnatione
domini millesimo VICESIMO. XVII.

Exhinc quidam per Francorum supputant regnum Teutonicorum. Unde filium
eius Ottonem in decretis pontificum Leonem papam primum regem Teutonicorum vo
casse dicunt. Nam iste de quo agimus Heinricus oblatam sibi a summo pontifice
dignitatem renuisse perhibetur. Michi autem videtur regnum Teutonicorum, quod modo
Romam habere cernitur, partem esse regni Francorum. Denique, ut in superioribus patet,
tempore Karoli regis Francorum tota Gallia, id est Celtica, Belgica, Lugdunensis,
a Rheno scilicet ad Illiricum terminum fuit. Dehinc diviso inter filiorum filios regno